

Posterior est S. Hieronymi, Theodoriti, Remigii, Alberti, Riberei et aliorum plurium, per familiam David significari proceres; hi enim prognati sunt ex David: per posteros Levi significari sacerdotes et pontifices; hi enim ex Levi descenderunt: per Semei, vel Sammai, significari doctores et scribas, qui Sammai habuerunt ducem et magistrum: per posteros Nathan propheta significari Prophetas, id est viros religiosos, qui orationi, meditationi Dei que laudibus vacabant, qui in libris Regum vocantur filii Prophetarum. Hæc enim erant officia Prophetarum, indeque spiritum proprie prophetandi, id est futura prædicendi, nonnulli ex illis magis in spiritu elevati concipiebant.

Dices: Multi ex his, ut sacerdotes et scribæ, non plauerunt mortem Christi; sed eam procurarunt. Respondeo in Scriptura sæpe ea facta, vel futura dicuntur, quæ fieri decet, aut debent, sive quæ ut fiant honestas et rerum natura postulat, vel quibus ut fiant justa gravisque causa datur, ut dixi in Proœmio, *Canone XV.*

Quator ergo hæc familie plancture dicuntur in morte Christi: quia decebat eas plangere, quia qualibet planetus propriam gravemque habebat causam, etsi multi ex his perversi seipsa non plauerint. Familia enim David propriam plangendi causam habebat, eo quod Christus ex ea prognatus quasi rex et Messias occideretur. Rursum quod propter Christum occisum destrueretur regnum Davidis et Judæe. Familie Levi plangendum erat, quod Christus sacerdos et pontifex, omnibus Leviticis sacrificiis et sacerdotibus adumbratus, necaretur, quodque ipse necis ejus esset causa, ideoque ab ea auferretur sacerdotium, templumque a Romanis pollueretur et combureretur. Familie Semei plorandum erat, quod Christus doctor orbis interimeretur, ideoque doctorum et scribarum ordo contaminandus et abolendus esset. Familie Nathan lugendum erat, eo quod Christus Prophetarum dux iniquissime et crudelissime necaretur, ideoque ab eis auferenda esset omnis propheta, religio et sanctitas. Adde multos ex his familiis fuisse pios et conversos ad Christum, qui sane reipsa ejus mortem acerbe plauerunt. Insuper Arias, Mariana et Sanchez censent has quator familias præ cæteris plangisse mortem Josie, eique suo planetu parentasse, idemque multos ex his fecisse Christo Josie antitypo. Denique hæc omnesque aliæ familie plangunt in die judicii, quando videbunt se, vel suos ob Christi necem vel procuralam, vel vilipensam, ab eodem jam glorioso judicante et regnante, ut ingratos, infideles, rebelles et impios damnari

ad æterna incendia. Unde Septuaginta, vers. 10, pro eo quod Hebræus et Noster habent, *plangent eum, vertunt, plangent super se.* Et ex iis S. Joannes loquens de Christo Judæe, *Apocal. cap. 1, 7:* « Plangent se super (propter) eum omnes tribus terræ. » Ex quo liquet hunc sensum de planetu impiorum in die judicii, non tam esse anagogicum quam litteralem. Combinat enim Propheta omnem de Christi neco planetum, tam piorum in ejus funere, quam impiorum in die judicii. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Remigius, Suarez et alii, quos citavi vers. 10, quibus adde Tertullianum, lib. *Contra Judæos*, cap. xi, et Ireneum, lib. *IV Contra Hæres.* cap. lxxvi. Plangent ergo tunc impii, quia videbunt stigmata vulnerum Christi, æque ac sua peccata, quæ illorum fuere causa, v. g. videbit Judas se sua prodicione Christum adegisse in crucem: videbit dives epulo se suis deliciis confixisse Christum: videbit superbus se suis honoris punctis; avarus, se suis fraudibus et usuris; adulter, se suis libidinibus; pugax, se suis pugionibus transpunctisse Christum: videbit quisque impius quot plagas suis sceleribus Christus infixit, quot spinas ejus capiti, quot verbera et dolores ipsi infixit, quot penas et addidit. Insuper videbit Christum sua peccata omnia in se luenda, ex immenso amore suscepisse, æque quantum in se est expiasse; ac proinde videbit suam ingratitude et dementia, quod ponere et vitam corrigere, ac Christo obedire noluerit, ideoque sibi frustraneam fecerit Christi passionem et crucem; ac consequenter quod sola sua culpa, negligentia et malitia perat, et idcirco justissime damnatur ad horrenda et æterna tormenta. Merito ergo plangent. Denique plangent quotannis Christi cædem omnes familie fideles in hebdomada sancta. Prophetia enim hæc cepit impleri moriente Christo, et post ejus mortem pergit impleri per singula sæcula, donec plene compleatur in fine mundi et die judicii. Ita Vatablus et Dionysius. Hæc explicatio generalis est et plena, cæterasque omnes complectitur: nam Propheta, vers. 12, hunc planetum dilatate et ad omnes familias omniaque tempora extendere videtur.

Tropologie, plangent Christum crucifixum religiosi et fideles, qui sua vita mortificant, passionem et membra crucifigunt amore Christi, ut ejus crucem tam activam quam passivam, pro ejus honore jugiter, tam in corpore quam in mente circumferant, ut dicant cum S. Paulus *Galat. cap. vi, vers. 17:* « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » uti ex Alexazre dixi vers. 10.

Man-
gus in-
piti Chris-
ti necem
in die
judicii.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Christum fore fontem gratiæ, justitiæ et salutis, ideoque abolenda esse idola et pseudoprophetas, adeo ut parentes suos filios, si falsa et impia doceant, graviter puniunt sint. Fontem autem hunc, vers. 6, docet aperiendum plagiis in cruce, fulente patre ac dicente: Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi: percutere pastorem, et dispergentur oves. Unde, vers. 8, docet Christi passione tertiam partem salutandam, eamque probandam fore per ignem (1).

1. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in abluentionem peccatoris et menstruatæ. 2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra: et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. 4. Et erit: In die illa confundentur propheta, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio sacco, ut mentiantur. 5. Sed dicit: Non sum Propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicit: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. 7. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum: percutere pastorem, et dispergentur oves, et convertiam manum meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in ea. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es: et ipse dicit: Dominus Deus meus.

VERS. 1. 4. IN DIE ILLA, — cum scilicet videbunt Christum in cruce confixum, ideoque plangent, ut dixit cap. præced. vers. 10; tunc enim Christus factus est fons sanguinis, potius quam aquæ, ad abluenda Judæorum omniumque hominum peccata.

ERIT FONS PATENS DOMUI DAVID. — Syrus et Ara-

(1) Hujus capitis synopsis in sensu supra declarato continuatur cum Kiber: Tertia prerogativa Ecclesie Christi post providam Dei curam et gratiarum abundantiam, orti immunis ab impedimentis procurata.

PRIMUM est *superstitio*, quod sublatum erit *primo*, per abolitam idololatram, divinationem et magiam; 2; *secundo*, per confessionem ipsorum pseudoprophetarum, 4, 5.

SECUNDUM, scandalum crucis Christi, *primo*, a Judæis olim objectum et propositum, 6; *secundo*, exposita a Deo patre causa sublatum, 7.

TERTIUM, pravum commixtio et consortium; sublatum, *primo*, per Judæorum et gentilium a christianis sejunctionem, 8; *secundo*, per Ecclesie ab hæreticis et schismaticis purgationem, 9.

Sunt qui totum hoc caput explicant de tempore Evangelii, de passione Christi, ac exilio Jerosolymæ per Romanos; inter quos Sanctius, Cornelius noster, etc., imo

bicus: *Fons qui aperiatur domui David.* Alludit ad fontem Siloe, qui typus fuit Christi, *Joan. ix, 7.* Siloe enim hebraice idem est quod *missus*: Christus autem quasi legatus a Patre ad nos missus est, ut nos ei reconciliaret. Siloe fons, inquit Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*, cui piscina, sive natoria Siloe conjuncta est in occidentali latere vallis Josaphat, e radice montis

et Judæi proxima verba accipiunt de Messia, ut refert Galatinus lib. IV, cap. ultim. Alii totum hoc caput explicant de temporibus Machabeorum, statuante pastorem vers. 7, eundem esse cum confixo cap. xii, 10, nempe Judam Machabeum, qui Messia typus est. Ast, ut recte observat Calmetus, commoda connectio vers. 7 et seq. cum antecedenti ostendi nequit; nova igitur sectio hoc loco incipit, et dubitari non potest vers. 7 de morte Messie agere, cum ipse eum de se explicat, *Matth. xxi, 31; Marc. xiv, 27.* Loquitur vero Deus Pater, qui persecutoribus Messie permittit, ut manus immittant Christo, pastori, promittens simul conservationem suorum. His premissis, asseri potest, cum Calmeto, Ackermann, d'Allioli, a vers. 1 ad vers. 6, agi de tempore Machabeorum in sensu proximo litterali; inde vero a vers. 7, Prophetam de Messia mortem subeunt, et de his que post eam sequentur exclusive vaticinari, 7-9.

Siloe
fons qua-
lis?

Sion scaturit. Aqua ejus clara, dulcis et uberrima, cum silentio, ut ait Isaias cap. vii, 22, placideque fuit in torrentem Cedron. Hunc fontem inclynus rex Ezechias restauravit: atque in ejus piscina crevis ille a nativitate oculos suos, Christi sputo et luto inunctos, lavans visum recepit (quo hinc alluditur) *Joan. ix.* De hujus aquae virtute diligentissimus loci hujus perscrutator Saligniacus ita fere scribit: Fontis hujus aqua adhuc hodie, ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum foteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotionem foetorem suum mitigant. Quin et eam Turcae magni faciunt, quod ejus usum oculorum visui conferre experiantur. Scribit Nicephorus lib. VIII, cap. xxx, S. Helenam imperatricem ad fontem hunc mirifica construxisse opera. Hec Adrichomius. Siloe ergo et nomine et virtute sua repraesentat Christum, de quo Isaias cap. xii, 3: «fluviis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.» Vide ibi dicta.

Fons patens dicitur, quia patens dicitur, quia patens dicitur, quia patens dicitur.

Respondens primo, quia respondens primo, quia respondens primo, quia respondens primo.

Secundo, quia secundo, quia secundo, quia secundo, quia secundo.

Tertio, quia tertio, quia tertio, quia tertio, quia tertio.

Quarto, quia quarto, quia quarto, quia quarto, quia quarto.

Quinto, quia quinto, quia quinto, quia quinto, quia quinto.

omnium. Ita Theodoretus et Hebraei apud Galatinum, lib. IV, cap. ult. Item S. Gregorius hom. 20 in *Ezech.*, quem audi: «Fons quippe occultus, est unigenitus Patris, invisibilis Deus. Fons vero patens, est idem Deus incarnatus: qui fons patens, recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos redemptor processit. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimae mentem figunt. Peccator vero et menstruata est: vel is qui delinquit in opere, vel mens que labitur in prava cogitatione. Menstruata namque ista pollutio est, quia et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic est omnis anima, que etsi malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit.» Porro ad crucem et vulnera Christi hic respiciere Prophetam, patet tum ex cap. xii, 10, ubi dixit: «Aspiciet ad me quem confixerunt:» tum quia fontem hic explicans, vers. 6, ait: «Quid sunt plage istae in medio manuum tuarum? Quinque ergo vulnera Christi fuerunt quasi quinque fontes, tam gratiae, quam sanguinis.

Maxime autem respicit ad vulnus lateris Christi, tum quia ex eo exivit sanguis et aqua, quae fuerunt quasi symbola Baptismi, Eucharistiae et ceterorum Sacramentorum, quibus a peccatis abluimur: unde S. Hieronymus *epist. 83*: «Cum ad occasum, ait, later Christi percutitur lancea, baptismi atque martyrii sacramenta funduntur:» et S. Ambrosius lib. V *De Sacramentis*, cap. 1: «Quare, ait, aqua? quare sanguis? aqua ut emundaret, sanguis ut redimeret;» tum quia vulnus hoc fuit majus ceteris, adeoque tantum, ut S. Thomas ei manum imponere potuerit, *Joan. xx, 27*. Quinimo vulnus hoc videtur totum lateris Christi penetrasse, ut videlicet lancea haec adacta per dextrum lateris Christi transierit ejus oer et pericardium, atque cuspidis ejus exierit per lateris sinistrum ad papillam. Nam utrumque lateris Christi fuisse transfossum, tribus locis docet Prudentius. *Primo*, in carmine *De Passione Christi*, dum ita canit:

Trajectis per utrumque lateris, laticae atque cruore
Christus agit: sanguis victoria, lymphae lavacrum est.

Secundo, Peristephanon, hymno 8:

Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnera atroque,
Hinc cruore effusus duxit, et inde later.

Tertio, Cathemerinon, hymno 8:

O novum caede stupenda vulneris miraculum!
Hinc cruoris fuit unda, lymphae parte ex altera.

Idem insinuat S. Cyrilianus tractat. *De Passione Christi*, cum ait: «De latere tuo, o Christe, divisis limbitibus aqua et sanguis emanant. Hinc et Theophylactus hoc vulnus lateris vocat *τοῦτο*; in plurali. Idem confirmatur ex eo quod S. Thomas lateri Christi manum imponere potuerit: ergo lancea per illud profunde fuit adacta; ac conse-

Utrumque lateris Christi la cruce transfossum fuit.

In vulnere Christi tota vita.

quenter ejus cuspidis penetravit et perdidit lateris sinistrum. Vide hic, o christiane, latitudinem vulneris, et consequenter amoris Christi. Hic est fons patens, cor inquam patens, in quod introeas: illud ergo ingredere; totum enim te capiet: «Longinus aperuit mihi lateris Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus,» ait S. Augustinus in *Manuali*, cap. xxiii. Idem, cap. xxi: «Tuta, ait, et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patet mihi viscera per vulnera: quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quae effluant. Per foramina corporis patet mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patet viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus ejus, pedes ejus, et lateris ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis et mitis, et multa misericordiae est omnibus eum invocantibus in veritate; omnibus inquentibus, et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri. Magna multitudinē dulcedinis, plenitudinē gratiae, et perfectio virtutum. Cum me pulsas aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei, et recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguatur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi: in illis dormio securus, et requiesco in-trepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei.»

Hujus fontis symbolo sub nativitate Christi Romae in taberna meritoria trans Tiberim, fons quidam per totum diem fluxit oleo. Hic enim representabat fontem misericordiae et beneficentiae, quem Christus nascens orbi attulit, nec tantum attulit, sed et suis communicavit, dum eisdem fontes sibi similes effecit, juxta id quod ipse ait Samaritanae: «Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.» *Joan. iv, 14*. Praclare S. Ambrosius lib. VI *Hexamer.* cap. iv: «Omnia, inquit, habemus in Christo, et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febrilis aestuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si caelum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quaeris, alimentum est.» Christus ergo est fons sapientiae, charitatis, gratiae, virtutis omnique boni: ipse est *πηγή ζωής και σωτηρίας*.

DOMI DAVID, — id est, ut SS. Hieronymus et Gregorius homil. 90 in *Ezech.*, ex domo David, hoc est e templo, ait Mariana, scaturiens. Unde Ezechiel cap. xlvii, 1, vidit e templo fontem erumpere, et in fluvium crescere. Verum quia additur: «Et habitantibus Jerusalem,» hinc melius per domum David principes, per habitantes Jerusalem plebem accipias, q. d. Fons hic patet omnibus, tam plebeis, quam principibus. Meminit Davidis, quia Christus Davidi fuit promissus, et ex eo prognatus: ejus ergo posteris in primis exhibendus fuit, ac deinde ceteris Hierosolymitis et Judaeis. Unde Christus dixit se non esse missum, nisi ad oves quae perierunt domus Israel; ac tandem per Apostolos hic fons gratiae propositus fuit omnibus gentibus, ut ex eo salutem potent. Ita Theodoretus.

Mystice S. Hieronymus: Domus David est Ecclesia, praesertim primitiva Apostolorum, in qua quasi in Jerusalem habitantes et cives sunt omnes fideles, tam ex gentibus, quam Judaeis.

IN ABLUITIONE PECCATORIS. — Cyzici exstat fons, qui Cupidinis vocatur, ex quo potentes amorem deponere credit Mutianus, ait Plinius lib. XXXI, cap. xi, et Isidorus lib. XIII *Origini.* xii. Cyzici, ait, fons amorem venenis tollit. Ut ut hoc sit, certe nullus est fons qui peccata abluat, et ab his peccatoribus emundet, nisi Christus, qui fonte baptismatis ea extergit, ac gratia sua non tantum ea abolet, sed et eorum scaturigines, puta cupiditates terrenas fomentibus libidinis, gulae, etc., sopit et reslinguit, mentemque sacro igne et coelesti amore inflammat. Hebraice est: *Ad peccatum et menstruum immunitiam*, scilicet abluendam et expandiendam, nimirum a peccatore et menstrua, quod Noster clare vertit: «In abluitione peccatoris et menstrua.» Alludit enim ad aquas expiationis, confectas ex cinere vitulae rufae, quibus immunditia ex menstruo, morticino, alivae quavis pollutione (quae erat peccatum legale veteris Testamenti) contracta abluebatur, *Num. xix, 11*. Unde Chaldaeus vertit: *Dimittam peccata eorum sicut mundantur aqua aspersiois, et cinere vaccae quae oblata est pro peccato.*

Porro haec immunditia legalis, praesertim menstrui, typus erat peccati, quod est menstruum, id est virus et pollutio summi animae, ut dixi *Levit. xv, 19 et 25*; ac consequenter aquae expiationis ejusdem, typus erant sanguinis Christi, quo peccatum omne abluatur.

Porro ad litteram per peccatorem intelligit viros, per menstruatam feminas peccato sordidatas: tam enim mulierum, quam virorum peccata hoc Christi fonte eluuntur.

Symbolice, Albertus, Lyranus et Clarus per peccatum intelligunt actuale, per menstruum originale: hoc enim transfunditur generatione, cujus faeces et reliquiae in puerpera sunt menstrua, vel fluxus sanguinis, et sordes instar menstruum.

Tropologie, S. Gregorius homil. 20 in *Ezech.*: Peccator, inquit, est qui delinquit opere: monstrata est mens quae habuit prava cogitatione.

Moraliter, S. Bernardus serm. 62 in *Cantic.*: « Quid, ait, tam efficax ad curanda conscientiae vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? » Et S. Bonaventura, *Coll.* VII: « Qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit; nec opus est ut extra Jesum aliquid quaerat. »

2. DISPENDAM NOMINA IDOLORUM DE TERRA. — Ex historicis omnibus patet per Christum et Apostolos sublata fuisse ubique idola et idolorum oracula, ac sacerdotes et prophetas, de quibus subdit: « Et pseudoprophetas, et spiritum immundum, » puta daemones qui idolo assistebat, quasi ejus anima, et per illum loquebatur, dabatque responsa. Ita S. Cyrillus, Remigius et Albertus. Pro *pseudoprophetas* hebraice est **נבנים** *nebinim*, quod communiter Prophetas significat, a radice **נבן** *naba*, id est prophetavit, subinde tamen, inquit Arias, significat stulte loquaces et garrulos, qui scilicet vanae orationis, cui nulla veritatis vel virtutis ratio subest, sunt artifices, et sermonis verborumque praestigii populum capiunt, a radice **נב** *nab*, quod germinare, et instar germinis erumpere et ebullire significat. Unde **נב** vocatur fructus, et sermo, qui est fructus et quasi germen linguae.

3. CUM PROPHETAVERIT QUI SPHIAI (scilicet falsa et impia, ex instinctu spiritus immundi et idolorum, ut praecessit), DICENT EI PATER EJUS ET MATER EJUS, etc.: NON VIVES, QUIA MENDACIUM LOCUTUS ES IN NOMINE DOMINI. — « Mendacium, » scilicet in fide et religione, docens idololatram vel haeresim. Significat in lege nova christianos tantos fore zelatores Christi et fidei, ut nec filii ab eo apostatantibus parcant. Alludit ad *Deut.* XIII, 6: « Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, etc., clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, etc., non parcat ei oculus tuus, ut miseraris et occules eum, sed statim interficies eum. » Ex quo loco discant haeretici, non tantum licitum et sanctum, sed et praeceptum esse a Deo, ut haeretici morte pleantur, adeo ut nec parentes parcant filios. Hoc est quod ait Christus *Matth.* v, 29: « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te, etc. Et si dextera manus scandalizat te, abscede eam, et projice abs te. » Et cap. x, 34: « Nolle arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus. »

ET CONFIGENT EUM. — Hebraice **דקרוהו** *dekaruhu*, id est perfovent, transigent eum, vel gladio, vel lancea, vel telo, vel clavibus in cruce; Tigu-

rina: *Confodient eum*; Vatablus: *Transigent eum*, id est curabunt ut adigatur in crucem. Notat recte Sanchez, *confingere, urere, scovare*, in Scripturis per catachresin significare quemvis gravem dolorem et supplicium. Unde Septuaginta vertunt: *Compedibus constringent eum*. Sic ait Nahum cap. iii, 10: « Omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. »

4. NEC OPERIENTUR PALLIO SACCINO. — Septuaginta, *pelle ciliicina*; Pagninus, *pallio piloso*; Tigurina, *chlamyde villosa*. Habitus enim Prophetarum exterior erat saccos, puta pallium ex pilis et setis camelorum, equorum, vel aliorum animalium contextum, ideoque ciliicum; ut ipso habitu populum provocarent ad luctum et poenitentiam, ut faciunt Capuccini. Ita S. Hieronymus. Quocirca pseudoprophete simile pallium assumebant, ut ipso habitu viderentur esse veri Prophete. Sensus ergo est, q. d. Quia pseudoprophete videbunt se etiam a suis, imo a parentibus falsitatis redargui, adeoque verberari et occidi; hinc non audebunt deinceps mentiri se esse Dei Prophetas, ac mendaciter vaticinari. Hinc consequenter non audebunt vestem prophetiam, puta saccum, induere, quasi veri prophetae praeseferentes poenitentiam et vitae austeritatem. Unde sequitur:

5. DICET: NON SUM PROPHETA, HOMO AGRICOLA. — Sicut dixit Amos Amasie cap. vii, 14: « Non sum propheta, et non sum filius prophetae: sed armentarius ego sum vellicans sycamoros. »

QUONIAM ADAM EXEMPLUM MEUM. — Probat se non esse prophetam, sed agricolam, q. d. Imitatus sum a puero Adamum et primos patres, qui me suo exemplo agros colere docuerunt. Adam enim in sudore vultus sui victum sibi paravit, iuxta sententiam Domini: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo, » *Genes.* iii, 19. In eum ergo intuens, ego potius statui sudore vultus mei ex agro vivere, quam Prophetam insolentem agere. Hebraeum enim **קנה** *kana* significat possidere, inde **קנני** *kennani* in conjugatione Hiphil, quae duplicem actionem significat, idem est quod possidere me feci, vel possessiones colere me docuit. Unde Tigurina vertit: *Adam me ab adolescentia mea instituit, ut possessiones colerem*; Vatablus, *homo*, id est aliquis (*Adam enim potest accipi vel ut proprium nomen primi parentis, vel ut commune cujusvis hominis*), *docuit me artem pastoralis a juventute mea*. Hebraeum enim **הננני**, si a radice **קנה** *kana* per *he* derivetur, significat possidere feci; si vero a **קנה** *kana* per *aleph*, significat creavit, genuit: littera enim *aleph* et *he* saepe commutantur. Unde pro eo quod Noster vertit, *Proverb.* viii, 22: « Dominus possedit me in initio viarum suarum; » hebraice est idem **הננני**, quod Septuaginta vertunt: *Dominus creavit me*.

6. ET DICETUR EI: QUID SUNT PLAGAE ISTAE IN MEDIO MANUUM TUARUM? —

MANUUM TUARUM? — *Primo*, Cyrillus, Theodoretus, Lyranus, Albertus et Vatablus censent hic fieri sermonem ad pseudopropheta, de quo hucusque fuit sermo, qui cum a suis vapulasset, essetque lividus, rogatus ab aliis, unde contraxisset illos livores et plagas, respondet: Castigatus fui apud parentes meos, ne prophetarem, cujus castigationis testes sunt plagae istae. Aut, ut S. Hieronymus, qui haec accipit de pseudopropheta crucifixo ob falsam doctrinam, q. d. Cur cruci es affixus? cur clavibus adactae tibi sunt manus in patibulo? quod seculus perpetrasti ut haec plagas merearis? Arias vero censet has plagas sibi impressisse pseudopropheta, ut populo se faceret venerabilem et sanctum. Sic enim Prophetae Baal plagas et stigmata sibi infligebant, ut patet III *Reg.* xviii, 28.

Verum dico hic esse sermonem de Christo, ejusque plagis in cruce. Propheta enim post longam digressionem quam inseruit de pseudopropheta, quam dixit tollendum a christianis, redit ad Christum, quem vers. 4 dixit fore fontem patetent domui David. Id enim declarat hic per plagas, quibus aperientur et patefient ejus manus, aequae ac pedes et latus. Id ita esse patet, primo ex ipsis verbis, quae plana significant plagas manuum in Christo crucifixo. Secundo, quia ita esse explicat, et Christo applicat Ecclesia in Missa de passione Christi. Tertio, quia illud quod sequitur: « Percutite pastorem, » etc., omnino Christus ad se refert *Matth.* xxvi. Quarto, quia Septuaginta vertunt: *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicit: Quibus percussus sum in domo dilecti mei*, puta a populo meo dilecto. Quinto, quia redit hic Propheta ad Christum, de quo hic est omnis ejus sermo, quem haeclemus docuit perditurum idola et pseudoprophetas. Ita Rupertus, S. Thomas in *Psal.* xxi, R. Samuel *De Adventu Messiae*, cap. vii, Galatinus lib. XVIII, cap. xvii, Ribera et alii.

Porro merito Propheta rei novitatem, et prodigium a saeculis inauditum admirans et obstupescens rogat: « Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? » Quid enim mirabilis a saeculo, quid magis stupendum in caelo, aut in terra, quam Deus in cruce, quam Deus plagatus, clavatus, spinis coronatus, crucifixus? Eum intuens obstupuit sol, luna, omniaque sidera, ideoque suos radios a tam indigno spectaculo retraxerunt: obstupuerunt sepulchra et saxa, quando in ejus passione discissa creperunt: obstupuit orbis universus, quando ad ejus necem exhorrensens terra motu conquassatus, et quasi e centro convulsus accessit. Hic solus homo non obstupescet? angeli stupuerunt et stupent hinc Deum patientem, inde stuporem hominum, qui tantum spectaculum immoti, et quasi insensibiles spectant, ideoque exclamant: « Obstupescite; coeli, super hoc, et portae ejus desolantini vehementer. » Rex caelorum, Deus et creator meus, pro ve-

pendet in cruce, pro me esse viscerat pro me esse exinanit, pro me dirissima morte excarnificatur, et ego terra vermiculus non obstupescam? sacro horrore non percillar? totus absumpe non liquescam? plagas plagis, dura duris, mortem morti, amorem amor! non rependim? Rependerunt S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, caeterique athletae et martyres, qui cruce, catastas, ignes, bestias, ardentissime pro Christo desiderarunt, ut qualem qualem ei gratitudinem et dilectionem reponerent. Rependerunt S. anachoretae, virgines, confessores, alacri animo tot tantisque poenitentis se macerantes, tot vigiliis et laboribus carnem edomantes, ut mortificationem Jesu jugiter in suo corpore pro ejus amore et honore portarent. Rependunt monachi, religiosi, virique contemplationi dediti, qui jugiter oculis mentis cum stupore contemplantur Deum, Christumque suum pro se in cruce fixum, totique cum S. Francisco in hoc divini amoris incendium et abyssum absorberantur; nec aliud dicunt aut cogitant, quam illud S. Thomae visis Christi plagis: « Dominus meus, et Deus meus; Deus meus, amor meus, Jesus meus et omnia. »

Porro magis pathetica est versio Syri et Arabici Antiochici; sic enim habet: *Quid sunt plagae istae quae in manibus tuis sunt? Et dicit: Haec sunt plagae quibus plagatus sum inter amicos meos (in domo amicum meorum)*. Et Arabicus Alexandrinus: *Quid sunt vulnera ista, quae sunt in medio manuum ejus? Et dicit: Evenerunt mihi de domo dilecti mei*.

IN MEDIO MANUUM TUARUM. — Hebraice, *inter manus tuas*, quae scilicet sunt in brachiis, collo, pectore, totoque corpore inter manus interjecto. Unde Theodoretus legit: *In medio scapularum tuarum*. Verum S. Hieronymus, Septuaginta et alii passim vertunt: *In medio manuum tuarum*; Tigurina: *Inter manus tuas*. Agitur enim de plagis et clavibus, quibus in cruce transfixe fuerunt manus Christi, cum quibus a pari plagas pedum et lateris intellige.

ET DICET: HIS FLAGATUS SUM IN DOMO EORUM, QUI DILEGERUNT ME, — puta in Judaea et Jerusalem; haec enim erat domus colentium et diligentium Deum, qui se Deum diligere profitebantur, et ad id peculiari obligatione stringebantur, q. d. Mei cives, mei contribules, mei cognati, puta Judaei quibus promissus eram, et ad quos missus fui quasi Messias, rex et redemptor, qui me mille beneficiis et nominibus summe amare et venerari tenebantur, mei, inquam, fratres, cives et subditi me vulnerarunt et crucifixerunt, quasi dicit: Passus sum a meis me plagari et crucifigi, quia eos, licet immerentes, dilexi, et dilexi nimis, ut eos a plagis eriperem.

Nota: *is qui diligebat me*, valde pungit, acuitque plagam. Solet enim gravissima esse plaga et dolor, qui ab amicis inferunt. Hinc sponsa *Cant.* i, 6: « Filii matris meae, inquit, pugnaverunt

contra me. » Ideo amor a S. Gregorio Nazianzeno, *orat.* 28, vocatur tyrannus dulcis, et ab Euripide in *Hippolyto*, amarus, ac melle et felle fecundissimus. Amor enim uti insignem habet vim beneficiendi, ita et nocendi. Hujus rei symbolo gentiles Apollinem (id est solem, qui amoris et beneficiæ est hieroglyphicum) pingebant una manu tenentem citharam et chariles, altera vero sagittas et pharetram gestantem. Hinc et illud: « Ubi amor, ibi dolor: nam sine dolore non vivitur in amore. » Hinc illa querela et pathos Christi de Juda proditore, *Psalm.* lxxv, 13: « Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem plagas, etc. Tu vero, homo unanimitis, dux meus, et notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu, » *q. d.* Hoc me cruciat, quod tu, Juda, qui meus eras convivæ, me prodidisti, quoniam omni modo tueri debebas. Hinc rursus amantium iræ sunt amarissime, et fratrum odia acerbissima: perinde ac ex vino dulcissimo, si corrupturatur, fit acetum acidissimum.

Filius
Christi
ad peni-
tentem
voc.

Tropologie, hoc sibi a Christo crucifixo lacrymose dici sentiat anima penitens: Ecce his quinque plagis plagatus sum a te, quam dilexi, et ut me vicissim diligeres fecerit: tua debita ego lui, tua vulnera in me suscepi, tuæ delicæ et veneres clavis me transfixerunt: tua superbia spinis caput meum transpexit: tua gula me felle et aceto potavi: passus sum, ut te a tormentis gehennæ liberarem; mortuus sum, ut te a morte æterna eriperem. Vide quantum pro te dolui. Vide quantum te amavi. Vide quam parum me redames, quam amori meo sis impar et ingratus. Patheticæ S. Augustinus in *Medit.* cap. vi: « Candet, ait, nudatum pectus, rubet cruentum latus, fœta arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, proceræ rigent brachia, crura pendunt marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gravissimæ prolis lacera membra. Vide Redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum. » Et paulo post: « Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? quod scelus tuum? que noxa tua? que causa mortis? que occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occasionis. Ego tue mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tue passionis livor, tui cruciatu labor. O mirabilis censuræ conditio, et ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, et punitur justus: delinquit reus, et vapulat innocens: offendit impius, et damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravat charitas? quo tuus accessit pietas? quo exerevit benignitas? quo tuus attingit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu poena multaris: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu

torturæ subjeceris: ego superbi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens exstili, tu obediens scelus inobedientie lui: ego gula parui, tu inedia affloeris: me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad crucem: ego presumpsit vestium, tu subisti equeum: ego delector cibo, tu laboras patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavis: ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem: mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce rex gloriæ, ecce mea impietas, et tua claret pietas. En mea iniustitia, et tua liquet justitia. » Ex hisce prorumpens in affectum gratitudinis subdit: « Quid, rex meus et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur premiis. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creature moliri officium, quo iuste Creatoris recompenset presidium. Est autem, nate Dei, in hac tua admirabili dispensatione, est uti fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitulis et concupiscentiis: et hoc cum a te conceditur, quasi jam tibi inepit compati, quia et tu pro peccato meo dignatus es mori. » Mortificantes ergo cupiditates nostras cum gratiarum actione et júbilo dicamus Christo id quod Sephora dixit Mosi marito suo, *Exod.* cap. iv, 25 et 26: « Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcicionem, » imo ob crucifixonem et concisionem omnium membrorum tuorum; ut, sicut tu, sponse mi, ea propter me concedi permististi, ita ego mea tui amore circumcidam et mortificem. Denique Christus in cruce pro nobis plagatus, tacite et amorose cuique inelamat: « Ecce in manibus meis descripsi te, » *Isaia* XLIX, 16, utique non calamo, sed clavo: non atramento, sed sanguine meo:

Cernis ut in toto corpore sculptus amor,

ac vicissim:

Cernis ut in toto sculptus, imo testus, amore dolor,
Respice me, me condè animo, me in pectore serva,
Ill' ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni.

Lactantis in carmine *De Passione Domini*, ita de ea canit:

Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus, cernè inde florem
Sanguinem, fossosque pedes, artusque cruentos.

« Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari, » ait S. Bernardus serm. 3 *De Nativitate*, adeoque tot tantisque plagis vulnerari. Agnovit hoc S. Magdalena, quæ, ut refert Sylvester Prierias in ejus Vita, apud S. Bauma penitens per

triginta annos, jugiter defixam in ea a S. Michaelae crucem et oculis intuita, et mente contemplata est, ideoque perennes lacrymarum imbres effudit: « Christus ergo amor noster, nobis crucifixus est: » idemque vir est dolorum, quia vir amorum. Ubi enim dolor, ibi amor; nec sine dolore vivitur in amore: quia mensura doloris est amor, et amoris dolor. O amor, amor, amor, quantum amasti nos, quam pauci amant te! et hi quam parum amant te, et dolent pro te! quia non cognoscunt te. Da, Domine Jesu, ut amores tuos deinceps sentiam, non meos; dolores tuos, non meos: quia amor tuus amor meus, dolor tuus dolor meus. Nimio enim dolore, et longe majori amore parturivisti me. Merito dicebat S. Bonaventura: « Domine, nolo vivere sine vulnere, quia te vulneratum video. » Et S. Augustinus: « Hinc lactator ab ubere, hinc pascor a vulnere. » Et S. Paulus: « Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. » Et: « In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. » Et S. Ignatius Martyr: « Amor meus crucifixus est. » Iterum S. Paulus: « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Et S. Bernardus: « Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum. » Et S. Elzearius comes Ariani ad Delphinam conjugem: « Si me queris, ait, non alibi quam in vulneribus Christi reperies. » Denique: « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. »

Exempla
crucis
amantium.

Namque meum crucifixus amor crucifixit amorem,
Spernere meam fixit spes crucifixa cruci.

Hoc sapiebat, hoc sentiebat sponsa *Cantic.* II, 13, sponso suo occiens: « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. »

Porro hæc plagæ adeo Christo charæ et pretiosæ, nobisque admirandæ, amandæ et adorandæ sunt, ut eas Christus resurgens resumere voluerit, et servare, ac ostentare in cælo pro omnem eternitatem, idque viginti de causis et titulis, scilicet ut illæ sint primo, certissimi assumptæ carnis veræ, non phantasticæ, ut volebant manichei, indices; secundo, atrocissimæ passionis testes; tertio, devictæ mortis aculei, et indubitata resurrectionis argumenta, quod scilicet idem numero Christi corpus crucifixum resurrexit, non aliud; quarto, ardentissimi amoris characteres, quibus, ut ait Isaias, in manibus suis descripsit nos, non calamis, sed clavis; quinto, illustrissimæ victoriæ de peccato, demone, morte et inferno tropheæ; sexto, fulgida gloriosi corporis decora et triumphus; septimo, redemptionis nostræ tessera; octavo, obedientiæ usque ad mortem stigmata; nono, sacræ laborum et dolorum Christi reliquie; decimo, peccatorum omnium lytrum, quod jugiter Patri pro his supplicando, Christus

representat; undecimo, tribulorum consolatio; duodecimo, patientium exemplum; decimo tertio, afflictorum refugium; decimo quarto, penitentium incitamentum; decimo quinto, tentatorum asylum, iuxta illud *Cantic.* II, 13: « Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceris; » decimo sexto, laborantium stimulus; decimo septimo, martyrum exemplar; decimo octavo, electis gaudium; decimo nono, reprobis in die iudicii probrum; vigesimo tandem, angelis admiratio et stupor.

7. FRAMA SUSCITARE. — Roganti: « Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? » respondit Christus se a suis plagatum, quos summe diligebat quasi cives et cognatos suos. Nunc eidem respondet Deus Pater, hoc sum fuisse decretum, ut periretetur Christus, itaque aperiretur fons ille, qui in nos scaturiret aquas salutis, de quo vers. 1, qui idem est pastor bonus, hoc suo fonte sanans et satians oves infirmas, vagas et dispersas, ut illis vitam æternam procuraret. Hunc enim locum intelligi de Christo in cruce transfixo, docet ipse Christus *Matth.* xxvii, 51, dum ait Apostolis: « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregris. »

Ait ergo Deus Pater: « Frama suscitare; » Tigurina: *Excitare, o gladii!* Chaldaeus: *Denudare, o gladii!* Septuaginta: *Consurge, o gladii!* q. d. Evaginare, o gladii! distingere, ut percussas et occidas Christum. Ubi nota: Hic imperativi capiuntur pro futuro; significant enim Dei decretum de Christi morte futura, ex prævisa et permessa a se Judæorum malitia, q. d. Deus previdens Judæorum malitiam fore tantum, et si eis objiceret Christum, ipsi eum occiderent, decrevit enim ipsis objicere, permittereque ut ipsi eum occidant ad hoc, ut ejus passione et morte salvaret genus humanum. Ex Dei ergo decreto futurum est, ut evaginaret gladius, qui Christum occidat. Unde Vatablus verit: *Excito te, o gladii!* S. Mattheus vero verit, per futurum activum dicens: « Percutiam pastorem. » Et sic verit hic Pagninus ut hebræum *חך haach*, id est *percutit*, ponatur pro *חך ach*, id est *percussit*, scilicet gladio per Judæos, objicendo eis Christum, quo scis ejus nec inibiare, et mandando Christo, ut eo iurum plagas constanter excipiat et sustineat. Unde voci *percussit*, respondet vox *convertam manum meam*, quæ sequitur. Hoc est quod ait S. Petrus *Act.* II, 23: « Hunc (Christum) definito consilio et prescientia Dei tradidit, per manus iniquorum affigentes interemis. » Sine enim hæc Dei permissio, prescientia et decreto, Judæi omnibus suis viribus et consiliis non potuissent occidere Christum, imo nec capillum ei adimere. Sicut ergo Moses virga percussit petram, *Exod.* xvii, 6, ex ea elicit fontem, ex quo potavit totus populus: ita Deus Pater, cruce feriens Christum, ex eo elicit fontem gratiæ, ex quo

omnes fideles bibunt et salvantur. Petra autem erat Christus, I Corinth. x, 4.

Framea quid?

Nota : Framea a Gellio et Tacito vocatur lancea, vel telum oblongum : framea dicta nonnullis videtur a graeco φαράζα transpositione litterarum, ut p procedat, quod in f veritur. Unde pro framea Septuaginta hic vertunt, ψαφίον; inde framea extensa est ad significandum gladium. Quare pro framea, Aquila et Symmachus verunt, machæra, id est, ut et alii passim verunt, gladius. Hunc enim significat hebraeum חרב che-reb. Jam per frameam et gladium synecdochicis et catachresticis significantur clavi, lancea, et omnia instrumenta, quibus alicui mors inferitur, uti Christo clavis, flagellis, spinis illata est. Isidorus lib. I De Differentiis, littera F, sic has voces distinguit, ut framea sit ensis utraque parte acutus, machæra ensis ex altera parte acutus. Simili modo ait Jeronias cap. XLVI, 7 : « O mucro Domini ! usquequo non quiesces ? etc. Quo modo quiescet, cum Dominus praeciperit ei adversus Ascalonem, » etc. Et Ezechiel cap. XXI, 28 : « Mucro, mucro, evagina te ad occidentum ; lima te, ut interficias et fulgeas. »

PASTOREM MEUM. — Quem scilicet ego Deus Pater hominibus pastorem dedi, Joan. X.

ET SUPER VIRUM COHERENTEM MIHI. — Hebraice עמיתי amithi, id est, ut Pagninus, socium meum, conjunctum meum; Symmachus, virum populi mei; Aquila et Theodotus, contribulem meum, id est mihi Patri consubstantialem secundum humanitatem, utpote Filio meo intime coherentem per unionem hypostaticam. Unde Chaldaeus vertit : Super socium ejus, qui est similis illi; Vatablus : Super virum coequalem mihi; Syrus : Super virum aeternum meum; Arabicus Antiochenus : Super virum clarum, sive illustrem et majestate praeditum; Arabicus Alexandrinus : Super virum ab his qui civitatis ejus sunt; Septuaginta vertunt : Super virum civem meum. Theodoretus pro meum legit ejus, illudque explicat de Apostolis et discipulis Christi, quasi dicat : Dei decreto Judaei percutient Christum, ejusque discipulos et Apostolos.

Humanitas Christi Patri et Spiritui Sancto affinis.

Nota : Licet sola persona Filii, non Patris, nec Spiritus Sancti hypostaticè assumperit et terminarit humanitatem assumptam a Verbo, ac proinde solus Filius dicatur incarnatus et homo factus, non Pater, nec Spiritus Sanctus, tamen per hanc assumptionem ad personam Filii, humanitas assumpta intimam coherentiam et affinitatem cum Patre et Spiritu contraxit. Sicut enim mulier, nubens viro, fit affinis ejus fratribus, ita ut ab eis vocetur soror, sitque eorum fratria, inquit Festus; ita multo magis humanitas, copulata Verbo, affinis facta est Patri et Spiritui Sancto, praesertim quia Pater et Spiritus Sanctus coeunt in eadem essentia divina cum Filio, uti fratres singuli essentiam humanam habent propriam et disparatam. PERCUTE (o framea) PASTOREM (Christum), ET DIS-

PERGENTUR OVES, — id est Apostoli aliique fideles. Septuaginta in editione Vaticana habent : Et avellite oves.

ET CONVERTAM MANUM MEAM AD PARVULOS. — Primo, aliqui censent parvulos idem esse quod oves, puta Apostolos. Hinc Septuaginta vertunt : Convertam manum meam ad pastores. Videntur ipsi pro צעריים teoarim, id est parvulos, legisse צעריים roim, id est pastores, q. d. Ego Apostolos, qui pusillanimes, ut parvuli, fugerunt a Christo patiente, mox a fuga revocabo, et ad Christum reducam : convertam ergo in eis manum meam a plaga ad medelam; a dispersione ad congregationem. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo et alii. Secundo, alii parvulos greges ab ovibus distinguunt, et convertam manum, referunt ad percute pastorem, q. d. Manum meam qua percussi pastorem, ejusque oves dispersi, convertam pariter ad parvulos ejus agnos, id est ad fideles communes et plebeios, ut similitur eos percutam, castigem et affligam; ut similes sint suo pastori, utque eos in virtute exerceam et roborem, atque in infirmitate eorum meae gralib robur ostendam. Ita Theodoretus et Lyranus. Factum id est post Christi in caelum ascensionem, quando primum a Judaeis Hierosolymae, deinde mox Romae, totoque orbe mota est persecutio acris contra christianos, quam per trecentos annos duravit usque ad Constantinum.

Vers. 8.

8. ET ERUNT IN OMNI TERRA : PARTES DUE IN EA DISPERGENTUR, — q. d. In toto orbe duae hominum partes dispergentur et peribunt, scilicet Judaei et Gentiles; quicumque enim manserunt in judaismo et gentilismo damnabuntur, sola tertia pars qua erit christianorum, servabitur et salvabitur. Solum enim illi qui ex Judaeis et gentilibus convertuntur ad christianismum, salvantur. Ita S. Remigius, Albertus et Lyranus.

Secundo, Theodoretus, Arias et a Castro per terram accipiunt Judaeam, de qua hic fuit sermo, q. d. In omni terra Judaea, et tribus partibus Judaeorum, duae permanentes in suo errore excidentur et peribunt, tertia electorum fidelium residua succrescet, et servabitur. Verum hoc laxè accipiendum; nam tertia pars judaeorum praecise non fuit conversa ad Christum; paucissimi enim crediderunt Christo et Apostolis. Unde Apostoli mox, his relicti, protecti sunt ad gentes. Minus probabiliter Vatablus et alii exponunt de excidio Judaeorum per Titum, q. d. Ex Judaeis qui erunt post passionem Christi, duae partes succidentur a Tito, tertia servabitur, sed multo tribulationibus probanda et affligenda. Nam brevis tertia pars excidium moniti a Deo, Hierosolyma excesserunt, itaque illud eraserunt. Ita Theodoretus et alii. Nota : Pro dispergentur Lovanienses legunt, disperdentur : hebraice enim est יצארו יצארו, id est excidentur; Septuaginta, peribunt; Chaldaeus, consumentur. Rursum pro deficient; he-

braice יצארו יצארו, id est exanimabuntur, expirabunt (1).

Tertia pars hominum non salvatur.

Anagogice, Emmanuel Sa exponit, q. d. In toto orbe duae hominum partes erunt reproborum qui damnabuntur, tertia erit electorum quae salvabitur. Hoc intellige moraliiter, non mathematicè, q. d. Duae partes, id est longe plures damnantur, quam salvantur. Nam arithmetice tertia hominum pars non salvari, patet ex eo quod tertia pars orbis non sit fidelis : nam Asiam, Africam et Indiam occupant paganismus et turcismus; sola pene Europa est christiana. Jam in Europa dimidia fere pars est haereticorum, schismaticorum, politicorum et atheorum. Inter orthodoxos multi sunt concubinari, multi qui odia fovent, multi injustorum bonorum possessores, multi ebriosi, etc. Conjice ergo quam parva pars sit proborum, qui soli habent spem salutis. Unde Christus : « Multi, ait, sunt vocati, pauci vero electi. » Et : « Spatiosa est via que ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est que ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » Matth. vii, 13.

Vers. 9.

9. ET DUCAM TERTIAM PARTEM PER IGNEM (q. d. Fideles probabo et purgabo igne persecutionum et tribulationum, ut purificetur instar argenti : perfectiores vero eodem excoquam, ut solidentur, perficiantur et splendant instar auri. Nam in hoc igne aderit eis Dominus, quem invoca-

Secreti probantur.

bunt. Unde ait) IPSE (scilicet populus meus fidelis, quem dixi esse tertiam hominum partem) VOCABITUR EUM. DICAM : POPULUS MEUS ES (q. d. Habeo te, amo, curo, protego quasi populum meum); ET IPSE DICET : DOMINUS DEUS MEUS, — q. d. Ipse vicissim me colet, amabit et invocabit quasi Dominum et Deum suum. Nam per ignem probatus et conlatus, dignus est qui reponatur in thesauris Dei, juxta illud Sapient. iii, 5 : « Ibeus tentavit eos, et inventi illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos. » Et Proc. xvi, 3 : « Sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus. » Hinc de iis recte ait S. Hieronymus : « Tertiam hanc sanctorum partem, ne delicata esset et secura, quasi argentum et aurum per ignem duci et probari. » Sic se probatum assertit Job cap. xxxii, 40 : « Ipse ait, scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. » Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus cap. ii, 4, dicens : « Omne quod tibi applicatum fuerit, accipe : et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles (hebraice, id est acceptabiles) accepti, grati Deo in camino humilitationis. » Quod ergo est ignis auro, lima ferro, vitellabrum tritico, lxivium panno, sal carni, hoc tribulatio est viro justo. Vide dicta Genes. xxxiii, in fine (2).

(2) Qui tertiam partem christianos in bello Judaeo servatos esse statunt, hinc versus de persecutionibus christianorum intelligunt, ex quibus Ecclesia mundior exivit. Qui vero locum de Judaeis servatis in bello cum Romanis explicant, sensum sic enarrant : Tertiam partem variis afflictionibus percutiam, donec castigati malis ad fidem in Christum convertantur. Cf. J. D. Michaelis loco citato. H tandem qui vers. 8, 9 et sequentibus Judaei a regibus Syriae, et de liberatione ex eis exponunt. (Ackermann.)

(1) Sanctius : « Mihi imprimis placet sermonem esse hic de obsidione Romanorum, et ita patet Hieronymus, Cyrillus et alii. » Sub tertia parte, qua servanda flectitur intelligit in Christum credentes, in quo eam multi sequuntur; alii, ut Joan. Mariana, J. D. Michaelis, intelligunt Judaeos in ultimo bello cum Romanis servatos, qui gentem in nostram usque etatem propagarunt; alii demum ea que hoc et seq. versu dicuntur, ad caput sequens referunt. (Ackermann.)